



ELTE BTK ÓKORTUDOMÁNYI  
INTÉZET  
LATIN NYELV ÉS IRODALOM TANSZÉK

ARPINÓI NEMZETKÖZI CICERO-  
VERSENY  
HAZAI VÁLOGATÓJA

<http://abeljeno.uw.hu/>



## Ember és isten közössége

Non faciam longius; huc enim pertinet, animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclera quadam condicione generatum esse a supremo deo; solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis et cogitationis, cum cetera sint omnia expertia. Quid est autem non dicam in homine, sed in omni caelo atque terra ratione divinus? Quae cum adolevit atque perfecta est, nominatur rite sapientia. Est igitur, quoniam nihil est ratione melius eaque est et in homine et in deo, prima homini cum deo rationis societas; inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est; quae cum sit lex, lege quoque consociati homines cum dis putandi sumus. Inter quos porro est communio legis, inter eos communio iuris est; quibus autem haec sunt inter eos communia, ei civitatis eiusdem habendi sunt; si vero isdem imperiis et potestatibus parent, multo iam magis; parent autem huic caelesti discriptioni mentique divinae et praepotenti deo; ut iam universus hic mundus una civitas sit communis deorum atque hominum existimanda. Et quod in civitatibus ratione quadam, de qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius tantoque praeclarus, ut homines deorum agnatione et gente teneantur.

Cic. *De leg.* 1, 7, 22–23